

1215

C O D I C E S

1216

rum duxerit perturbanda, que per potentiam tuam ab aliorum debent molestatione defendi; nequaquam ulterius poterimus equanimiter sustinere, quin pro honore illius quam suscepimus diuina cooperante gratia gubernandam nos, ut ad nostrum spectat officium, opponamus. Datum Verone XIII. Kal. Julii.

Codicem nostrum olim ad antiquissimum Bavariae Coenobium *Weltenburgense* pertinuisse repetita saepius ἐπιγραφή: *Liber S. Georii Weltenburch*, docet, cujus Abbatem *Michaelem* 1418. multos Codices abalienasse inuenio, quo fortasse spectat illud fronti pag. 1. adscriptum: *Accepti dono ab abbate.*

## CCCVIII.

342 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 150. f. probe scriptus, rubricisque pernotatus complectitur *Ruperti Abb. Tui-tiensis* Sec. ejusd. Scriptoris, O. S. B. an. 1135. defuncti *Libros XIII. de Victoria Verbi Dei*, de quibus jam ad *Cod.* praeced. dictum est. Praecedat hic *Librorum Capitumque recens*, qui tamen satis exactus non est. *Fol.* 12. p. 2. minio: *Incipit prologus Ruberti de uictoria uerbi dei.* *Fol.* vero 14. *Incipit liber. Domini abatis. Ruodberti tuiciensis de victoria uerbi Dei.* Initia dedimus *Cod. supracit.* Lectio collata cum edit. *Veneta* 1749. T. III. *Opp. Ruperti* genuina est, sed ab iis L. XII. c. 24. uerbis: *quamuis*

*apostolus grecis scribens et pro ne*  
— — — *mutilum est Exem-*  
*plum.*

## CCCIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 121. f. probe scriptus et rubricis distinctus complectitur I. *Ruperti Abbatis Tui-tiensis Libros IX. de Glorificatione Trinitatis et Processione Spiritus sancti*, qui in edit. *Veneta* 1749. prostant T. III. p. 3. Titulus miniatus est: *Prologus Abbatis Ruberti ad Honorium Papam. Ante faciem tuam o princeps beatissime &c.* Nescit *Veneta* nomen Pontificis, e quo, cum *Honorius* ab a. 1124. ad 1130. sedem tenuerit, simul tempus eruitur, quo *Rupertus* egregium hoc Opus elaboravit. Hunc inter et sequentem *Prologum* intercedit *Capitulum Index*, qui deinceps cuiusvis Libro praefixus est. Incipit uero alter *Prologus*: *Quid faciam o Philochristi omnes auditores beniuoli &c.* dirigiturque post medium ad *Canonem* ex Abbate *Sigibergensi* jam *Ratisponae Praefulem* ✠. ut supra dixi, 1130. Opus ipsum, si integritatem spectes, cum editis consonat; non deest tamen lectionis uarietas. Clausula miniata totius est: *Explicit liber nonus de glorificatione trinitatis. et processione spiritus sancti. domni Ruperti tuiciensis abatis.*

II. et quidem a fol. 99. *Incipit liber eiusdem. de meditatione mortis. Quid nunc agis o anima?*  
Saltem

1217

D O G M A T I C I.

1218

*Saltem abhinc eruditior esto &c.* Extat Opusculum istud in edit. *Venetae* T. IV. a p. 236. divisum in *Libros* II. quorum I. *Capita* 19. II. vero *Capita* 9. numerat; nobis vero in univrsam *Capitibus* tantum 18. definitur, variaque et quidem statim sub principium continet, quae in editis desiderantur. Ita inter C. I. et 2. impressorum interjacet locus 35. *linearum*, qui incipit: *Proficiscor enim in viam uniuersae carnis &c.* et finit: *protinus a somno euigilaui.* E contrario versus finem varia nobis defunt, quae in edit. *supracit.* leguntur. Ut adeo Codex noster nequaquam negligendus fit illi, qui de nova aliquando *Ruperti* editione cogitauerit. Confer et *Cod. CXCIX.*

III. et quidem a *fol. 111.* adjicitur *Bedae Presb.* Scriptoris *Sec. VIII. Liber XXX. Quaestionum in Libb. Regum* hoc rubro: *Incipit epistola uenerabilis bedae presbiteri ad nothelmum de quibusdam questionibus quas exponit in libro Regum. Dilectissimo fratri Nothelmo. beda salutem. Quae de libro regum dilucidanda mihi frater dilectissime misisti &c.* Succedit *Index 30.* Textuum, qui exponuntur; tum rursus rubro: *Incipiunt Quaestiones XXX de libro Regum uenerabilis bedae presbiteri. Quod ait propheta ad belli loquens ex persona dei &c.* Finis: *intrate in gaudium domini dei nostri.* Extat hic *Tractatus* inter *Opera Bedae edita Coloniae Agripp.* 1688. T. IV. p. 333. f. non sine quadam expressionum varietate.

CCCX.

Codex membraneus lat. *Sec. 357* XII. *Folior. 92. f.* perquam nitide et luculente exaratus *Corpus* est quoddam *Doctrinae Christianae* e PP. dictis conflatum et in *Partes VII.* tributum, quarum hi sunt *Tituli*: *Prima Pars continet de Patre et Filio. De angelis. De adam. de fide antiquorum. de prophetis. de apostolis.* *Secunda de intellectu scripturarum. de diapsylmate. de obelo et asterisco. de diuitibus.* *Tertia de sacrificiis paganorum et nostris. de baptismo. de uiuentibus ex oblationibus.* *Quarta de incommodis que propter peccata eueniunt. de ipsis peccatis. de iuribus iurandis. de testimoniis. mendaciis. furtis. negociationibus. de auaritia. usura. quae liceant quae non. de honesto et inhonesto opere.* *De confessione. de remissione. de quibusdam mundanis.* *Quinta de potestate ligandi et soluendi. de pastoribus et doctoribus. de ordinatione. de doctrina domestica. de hereticis. de excommunicatione. qui tolerandi sint. qui non. de synagoga et hebreis. de ecclesia et ecclesiasticis.* *Sexta de cruce. de tempore paschali. de orationibus. de elemosinis. de militia. de dominis et seruis. de matrimonio. quod apostoli habuerint uxores.* *Septima de restauratione angelorum et hominum. de diabolo. de antichristo. de ultimo iudicio. de resurrectione. de gebenna. de igne ante iudicium et post.* Vides majore ordine et nexu res tractari potuisse. Singulae porro *Partes* in magnum *Capitulorum*